

DISPUTATIO D. HEINRICI HÖPFNERI  
DE JEJUNIIS CHRISTIANORUM.  
IN NOMINE CHRISTI.



Tempus est lugendi, passio Domini celebra-  
tur, tempus gemendi est, tempus flendi, tem-  
pus confitendi & deprecandi, ait *Augustinus*  
*in Psal. 21 tom. 8. Peccata enim nostra Christum*  
*Salvatorem in tam acerbissimam cruciatuum*  
*abyssum demerserunt, ut merito quisq; pius cum*  
*Bernhardo dicat: Quid fecisti bone Jesu, ut*  
*sic tractareris? quid fecisti o dulcis Domine,*  
*ut sic judicareris? quæ causa tua! quæ noxa tua! Ego, ego causa*  
*sum tot dolorum. Vulneratus enim es propter iniquitates nostras,*  
*& propter scelera nostra attritus es. Esa. 53. v. 5. Ad hac autem pœ-*  
*nitentia & devotionis exercitia, ut ardentiora essent, velut incenti-*  
*vum quoddam ab Ecclesiâ adhibitum est Jejunium, quod Quadra-*  
*gesimale solet appellari.*

*Vt verò melius constet, quid de tali jejuniis sit habendum, qui-*  
*busq; abusibus fuerit in Papatu defædatum, opera precium ducimus,*  
*si generalem de jejuniis diæxetiv instituamus. Comprehendemus*  
*autem totam doctrinam quinque capitibus, 1. De significatione variâ*  
*hujus vocis. 2. De causis impulsivis. 3. De naturâ & formâ jejunii.*  
*4. De differentiis jejunii. 5. De repugnantibus.*

CAPUT PRIMUM.

De significatione vocis hujus.

THESIS I.

Jejunium significat vel abstinentiam à cibo po-  
tuq; omnimodam, vel parciolem refectionem, quæ  
secundùm quid, ratione solitæ aliàs cibationis, dici-  
tur jejunium,